DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXI. FBR.

M. IOANNE BAPTISTA MOREAV Doctore Medico, & Profeſſ. Reg. Præſide.

1080

An Colico & Nephritico dolori eadem remedia?

CORPVS humanum, non ſecus ac magna ciuitas, diù quieſcere non poteſt; ſi foris hoſtem non habet, inuenit domi; morborum numerus ferè ſine numero ὑπὸ τῶν ἔξωθεν καὶ ἔσωθεν illud impetit, quibus vt diuerſa eſt cauſa, ſedes eſſentia, ſic non eadem medendi ratio, quæ nulla eſt niſi cognoſcantur; quidam aperto marte arcem vitæ oppugnant ſuis vexillis ſpectabiles, alij de occulto ac velut ex inſidijs, eò difficiliores curatu, quò exploratu: ſcopulus hic multorum famoſus naufragijs, facilè declinandus, ſi omnes eſſent velut pleuritis, aut dyſenteria, non grauitatis & periculi ratione, ſed certæ per ſua παθογνωμονικὰ cognitionis, at vix detegendus inſcrutabili ſignorum obſcuritate, vel eorum malè diſputata ſimilitudine; artificis eſt non de nomine ab eo ſe labyrintho expedire, cuius vnicus exitus peritia, quam vt neſciunt indocti imitatores Theſſali, ſic πάντας ὁμοίως θεραπεύειν, vt qui ad ſimilium diſſimilitudines non minus cæcutiunt, quam Homericus ille Cyclops amiſſo oculo; quid mirum? ſi, veneream luem, laſciuientis hominis mercedem, curant pro rheumatiſmo; cataphoram pro lethargo; ὑστερικὸν πνιγμὸν pro ſyncope; nec enim cuiquam bene mederi fas eſt, quem affectuum ſimilitudo fallit.

COLICVS dolor & Nephriticus velut eo nomine imponunt interdum, ſic perito indigent, quo diſcriminentur, artifice; grauis vterque hic affectus & periculoſus, ſed eò grauior periculoſiórve, quod vnus alterum aliquando mentitur: Qui Coli tormentum Tiberij temporibus primum irrepſiſſe dixit, ſuo iure vſus eſt; nam ſi multam ciuitati ambagem nomen fecit incognitum, non vtique debuit morbus, qui Hippocratis æuo, Ileo licet confuſus, innotuit, à quo tamen plurimum differt: magnum profecto à craſſo illo inteſtino ſupplicium, ſeu doloris acerbitatem ſpectes, ſeu cæterorum ſymptomatum multitudinem & vehementiam; quod quidem vt πολλὸν ἔτι καὶ πάντη ἴλιγγας ποιευμένον, ſic merito exiſtimes, vniuerſum modo abdomen quaſi diuelli, partem modo eius aliquam dilaniari, modo terebrari; vt non vna ratione ſæuit, ſic non vna tanti cruciatus cauſa; nonnunquam, imbecilli caloris ſoboles, flatus, dum repunt magis à dextra epigaſtri parte ad ſiniſtram, inſigni quam faciunt diſtentione, dolores illos inferunt χαλεπωτάτους, δίκην ζώματος, qui irrequieta ſede, cum ſonitu huc & illuc fluctuantes, ad Ilia vſque deſcendunt, & ad ſuperiora reuoluuntur intercepta διεξόδου; alias bilis ſuâ feriens acrimoniâ ſenſus exquiſiti membranas, ſitim, ἄλυσμον & febrem inducens, nec conuulſioni paralyſiue parcens; ſæpius vitrea Praxagoræ pituita, veræ Colicæ parens, doloris illius æmulatrix, quem infixus palus aut adacta profert terebra; ab ea vt error facilis, ſic cautio major ſit opportet in adhibendis remedijs; quæ eo vſque ſimilitudine ludit, vt quod à craſſo & frigido concitatur humore, renibus adſcribatur tanquam calculoſis; ab illo (quod noſtrum eſt) Coli vitio, velut ab alijs, videas moleſtiſſimam ſymptomatum ſucceſſionem nauſeæ frequentis, repetiti ructus, vomitus multi, interdum vrinæ ſtillicidij, interdum ſuppreſſionis; adeo multa eſt labes quam ignobile Colon inducit.

INSIGNIS eſt ſanè Colicæ paſſionis moleſtia; at non minor Nephritidis ſæuitia, quam calculus concitat; crudelis, ni perimens ille renum fœtus, qui non adeo magni, quandiu nidulatur in viſcerum carne, author eſt ſupplicij, vbi vel ſuo pondere, vel naturæ conatu, deciduus in vreterum anguſtias, viam meditatur in veſicam, ingentis fit mali parens, non ſine laborantis diſcrimine; dolor eſt ad lumbos grauis, diſtendens, acutus, diceres interanea perironæi diuelli, pergit ille chordæ ſpecie ſecundum mictualis viæ longitudinem εἰς κύστιν οὐροδόχον, teſtem reuellit, crus ſtupore detinet κατ' ἴξιν laborantis phaſeoli; quanta præterea grauiſſimorum ſymptomatum ſilua, interdum ſiſtitur vrina, vna licet affecta parte, imminentis ſi perſeueret calamitatis ſymbolum; ſæpius, ni ſemper κατ' ὀλίγον καὶ σταλάδην effluit, μετὰ πολλῆς πλέον ἐκκλίσεως, ἐπιθυμίας, nunquam ſine difficultate, ructus vrgent aſſidui, nauſea fatigat continenter, nec deijciunt, vomitus primum pituitoſi, dein bilioſi, etſi cum leuamine; magna hæc, ſed leuia, ni dolor ille pungens vexaret, præcipuum lapſus argumentum & calculi, qui à craſſo & glutinoſo ſucco, caloris acceſſu, etiam moderati, ſic concreuit in ſilicem; miſera ſane tam vtilium partium conditio, humanum genus dilapidantium, non tamen hęc ſola in corpore lapidicina, quæ vbique reperitur, etiam in corde; quidni ſine renibus veſica durum parturiret genus, vt cui debeatur λιθίασις μετὰ τὴν ἥβην; at non vt omnis pars calculum, ſic omnis ætas æque renalem nouit, quem rarius experitur pueritia, frequentiſſime ſenectus, quam nec lapis veſicæ fugit; adeo multa vbi mors imminet ad interitum præcipitant, ne non contingat.

CONFVSIONE tetrius nihil in medicina, in qua vel leuis error crimen; παρήλιος eſt Colicus affectus Nephritico, non tamen idem; male diſtinguenti tum demum intelligitur error, vbi perfectus, ſi non bene cogniti morbi nulla θεραπεία; hoc age vt internoſcas, priuſquam de ſalute ſperaueris; aliquos ignorato affectu ſanatos refers, ne habeas fortunæ temeritatem pro prudenti conſilio; equidem nemo præſtantior eſt in medicina artifex, quam qui nunquam aut rariùs decipitur; Colicum hunc cruciatum, quia doloribus acerbiſſimum, Nephriticum eſſe vis, nec tibi negotij plurimum faceſſit tam diuerſorum affectuum diſtinctio, quod ſubſit aliqua ſimilitudo, hoc nimium audacter; imò quo major eſt inter vtrúmque affinitas, vel peritiſſimis imponens, eo majori diligentia opus, vt errorem, inter initia ſuſtinendum, quamprimum emendes; expende ſymptomatum ſyndromem, attende excretorum conditionem, examina loci dolentis poſitum, hunc tandem rationis gladio, nodum diſſolues; ructus, nauſea, vomitus multo grauiores & magis aſſidui, humoriſque pituitoſi largior copia, ſic dolente Colo; ſuppreſſam aluum Nephriticus habet, at nunquam velut Colicus adeo exquiſitam, vt ne flatus erumpat, quæ ſi ſoluatur, huic medela, Nephritico vix erit mulcimentum; longè diuerſum quid ab vrinarum inſpectione, omnis in Nephritide vtilitatis, leuis in Colica; qui circuit per inteſtina dolor, nunc veluti in vnum ſe locum recipiens, mox ampliorem occupans, pluribus infeſtus particulis, ſupernam renum excurrens regionem, ob admixtos ſæpiſſime flatus, à Nephritidis te ſuſpicione reuocabit; ſed illudet forſan fixus vtrobíque dolor, partium viciniâ & conſenſione, ni ſitum illarum, doloris proprietatem cæteráque ſymptomata, probe noueris diſtinguere; nam in vno ſtabilis loco vellicans, pungens, diſtendens & grauans qui aderit, iugiter renum aut vreterum ſedem exagitans, teſtem reuellens, cruris ſtuporem inducens, δυσουρίαν aut στραγγουρίαν inferens, abſit vt Colicus à te cenſeatur; adeò multa belle ponderanti, vt vt ſimiles, at certè diuerſos tibi diriment affectus.

DIVERSIS morbis, diuerſa debentur remedia; alia tibi legenda via eſt dum Colon patitur à craſſo & glutinoſo humore, alia dum renes à calculo; vrget dolor vehementiſſimus in inteſtino craſſo, clyſteres illico cogita frequentes, attenuantes, calefacientes, cum acrimoniâ, ſed moderatâ, quibus caue miſceas vel mollientia vel lubricantia, cum eos doceat eſſe ξηραντικὰ; καταπλάσματα, πυριάματα, καταπλάσματα abdomini imponenda, eodem præſcribe conſilio; venæ ſectionem non, inutilem crede, manu parciori modo celebratam; purgationem non omitte, valentioribus non adminiſtrandam catharticis, maximè ſcammonio; vis doloris acerbitatem ad tempus emollire, appone vmbilico, cum multa flamma, cucurbitam, tantorum cruciatuum velut incantamentum; abſtine tanquam à grauiori malo ἀπὸ τῆς τῶν ναρκωτικῶν προσφορᾶς, Philonium ſi exceperis; in balneo ſis cautus adhibendo, ei, cui pro exercitatione quies, pro remedio ſomnus eſt, inflexo potiùs corpore ſuſcipiendus; huic nec vinum nega meracius; nec calidiora προσάρματα, cui vtilis vel Ἀνδρομάχου θηριακὴ vel τῶν ἀγρίων; imò cui non infenſa febris, modo blanda ſuperuenerit: Non ſic ages cum Nephritico, ni, errore calamitoſo, volueris tot tædia circumcidere; excidit calculus in vreteris anguſtias, nunquam hiatu tam immani ſua ſponte patentes, molliendæ viæ, laxandæ, demulcendæ; clyſteres inijce lubricis & viſcidis medicatos, non acribus & ſiccantibus; venam ſolue, quâ συνώσεις τῶν λίθων χαλῶνται, largiori manu, nec tarde inferiorem; fotus adde renibus & lumbis mollientes & laxantes; vtere diureticis, plurimi tunc fructus; inſtantibus doloribus, inde ſecurus laborantem vel balneo, vel ſemicupio, nec alia negligas γυμνάσια; quibus ſi non ceſſerit doloris atrocitas, tuto confuge ad ναρκωτικοῖς; nec andem parce καθάρσει, blandæ initio, tum validiori, cum nec ſit inutilis per μοχλείαν facta: quid plura? prima in calculo ἔνδειξις, ἀπαλύνειν; in Colica calculum mentiente, ξηραίνειν.

Non ergo Colico & Nephritico dolori eadem remedia.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Guillelmus Petit.
M. Rolandus Merlet, Decanus.
M. Stephanus le Gaigneur.
M. Petrus Bourdelot.
M. Carolus le Breton.
M. Claudius Perraut.
M. Robertus Tulloüe.
M. Barthelemy Baralis Med. Reg.
M. Ioannes Bourgeois.

Proponebat Lutetiæ FABIANVS PERREAV, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LVIII.